

Circa distinctionem nonam in qua Magister agit qualiter a Patre nascitur Filius per modum verbi intellectualis, ideo dicitur ars et sapientia Patris ut iterum tangantur aliqua de immutabilitate Dei, quero utrum intellectus paternus intelligat aliquid per intellectionem realiter distinctam a deitate. Quod sic: quod est dissimillimum creature distinguitur ab eo quod est illi simillimum. Sed deitas est dissimillima creature, quia summe distant, et intellectio qua Deus intelligit creaturam est simillima creature. Probatur per Anselmum, Monologion 31, “notitia est imago et rei similitudo cuius est, omnis similitudo et imago, tanto magis vel minus est vera, quanto magis vel minus imitatur rem cuius est similitudo. Sed notitia Dei est verissima similitudo rerum que per ipsam facte sunt, igitur”. Confirmatur: Deus intelligit aliquid aliud ab ipso, ergo intellectione distincta a seipso. Consequentia probatur secundum Commentatorem, 12 Metaphysice, commento 51, “causa distinctionis inter intellectionem et intellectum est propter distinctionem intellectus ab obiecto intellecto”.

Contra, per Commentatorem, 12 Metaphysice, commento 39, “vivere et intelligere non sunt dispositiones addite divine essentie, quod probat, quia omne tale compositum est novum, et habet causam efficientem, et ideo dispositio et dispositum in Deo reducuntur ad unum in esse, et duo in consideratione”; et commento 51 ponit quod Deus est sua actio et sua intellectio, et non perficitur per suam intellectionem sicut intellectus noster.

Notandum: hic non queritur de distinctione formalis attributorum et perfectionum essentialium in divinis, vel de distinctione formalis identificatorum ex natura rei cum identitate reali, quia de his inquiretur in sequentibus, distinctione 23 et distinctione 36. Sed hic specialiter queritur an Deus et sua intellectio distinguatur realiter ut subiectum et accidens, secundum quod Deus sit mutabilis.

Prima conclusio: non solum in lumine fidei, sed etiam in lumine naturali ponendum est quod Deus non intelligit seipsum intellectione distincta a sua essentia. Probatur primo, quia Deus non est susceptivus accidentis, ut probatum est distinctione 8.

Preterea, deitas non esset ex se essentialiter ens perfectissimum, immo ens diminutum et imperfectum, quia esset ens ex se perfectibile per aliud, quia per intelligere summe perficitur, immo beatificatur. Et ita Deus beatificaretur per aliud essentialiter ab eo, et aliud esset eius

finalis beatitudo et perfectio ultima, et ita haberet causam finalem, et esset gratia alicuius alterius.

Preterea, illa intellectio accidentalis esset causata finaliter et effective a Deo, igitur mediante alia intellectione et volitione, aut igitur illa alia intellectio est eadem realiter deitati, et propositum; aut aliud est sic processus in infinitum.**[125a]**

Secunda conclusio, tam secundum veritatem fidei, quam secundum rationem naturalem ponendum est quod Deus non intelligit aliquod aliud a se per intellectuonem realiter distinctam a deitate. Probatur: intellectio qua intelligit se est eadem sue essentie, igitur nulla intellectio est ei accidens. Consequentia probatur, quia omnes intellectiones eiusdem intellectus videntur esse perfectiones eiusdem generis, et quia intellectio que esset idem deitati esset subiectum aliarum intellectuonum, et ita intellectio nobilior esset potentialis et perfectibilis per ignobiliores.

Preterea, vel esset una intellectio omnium aliorum a Deo, aut cuiuslibet entis secundi intellecti a Deo esset in Deo propria et distincta notitia. Si secundum, igitur in Deo infinite notitiae accidentales inherentes simul Deo. Si primum, igitur pari ratione poterit esse unica notitia Dei et entis secundi.

Preterea, Augustinus 6 De trinitate, capitulo 7, “Deus dicitur magnus, sapiens, verus, bonus, et quidquid alias non indigne dici videtur. Sed eadem magnitudo est eius que sapientia eadem bonitas, que sapientia et magnitudo, et eadem veritas, que omnia illa et non est ibi aliud beatum esse, et aliud magnum aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse”. Idem, 7 De trinitate, capitulo 1, et Anselmus, Monologion 16.

Contra has conclusiones possent induci multa que inferius tangentur de prescientia futurorum contingentium, sed ad presens arguitur primo sic: omne iudicium vel signum significans formaliter rem aliquam esse talem qualis ipsa potest non esse. Et qualis ipsa non semper est aut est susceptivum veri et falsi, aut est formaliter mutabile. Sed divina apprehensio est huiusmodi signum, et iudicium, igitur. Minor patet, quia ideo Deus iudicat Petrum nunc esse album, et non fuisse prius, nec post fore album. Maior probatur, tum quia ideo oratio est susceptiva veri vel falsi, quia non mutatur ad mutationem rei, tum quia si re significata mutata secundum illud secundum quod erat eius signum et iudicium, non mutatur signum indicativum et affirmativum,

nec in se formaliter secundum suam essentiam, nec in sua formali ratione intrinseca. Igitur, significatur et iudicatur uniformiter ut prius res esse talis qualis prius iudicabatur et significabatur. Sed res non est talis, nec est sic se habens ut prius, igitur per illud signum et iudicium formaliter significatur et iudicatur res aliter se habere quam se habeat, igitur est falsum. Hoc argumentum videtur tangere Anselmus, Monologion 31, dicens “omnis similitudo vel imago, tanto magis vel minus est vera, quanto magis vel minus imago imitatur rem cuius est similitudo. Si ergo verbum divinum vera est mutabilium similitudo quo modo erit consubstantiale summe immutabilitatis. Si autem non est omnino vera mutabilium similitudo, quo modo erit verbum summe veritatis”.

Secundo, et est confirmatio precedentis, sit *b* modo album, et non prius, nec postea, tunc verum est quod Deo nunc appareat *b* esse album, aut igitur post eadem manebit apparentia formaliter invariata, et adhuc apparebit formaliter Deo *b* esse album, et per consequens Deus decipitur; aut non, igitur est mutatio in Deo. Dices: illa apparentia manet formaliter invariata, et per illam semper appareat, et semper apparebit *b* esse album pro *a* tempore, et *b* non esse album pro *c* tempore, et ita non appareat aliud, nec aliter nunc et prius.

Contra: hec consequentia est necessaria ‘Deo formaliter appareat, et Deus actualiter iudicat quod *b* est in tempore *a*, et quod *b* coexistit actu presentialiter tempori *a*, igitur *b* est actualiter in tempore *a*’. Aut igitur antecedens est semper verum, aut non. Si primum, igitur cum consequentia sit necessaria, consequens semper esset simpliciter verum et concedendum, quod est falsum. Si secundum, igitur non semper Deo appareat illud, nec semper Deus iudicat idem, sed aliquando appareat et iudicatur hoc, et aliquando non. Item, Deus [125b] iudicat *b* esse pro tempore *a*, ergo iudicat *b* esse simpliciter, igitur *b* est simpliciter. Secunda consequentia est necessaria, si autem prima consequentia est necessaria, ergo cum secundum te antecedens sit semper verum sequitur quod ultimum consequens sit semper verum, et simpliciter concedendum quod est falsum. Si autem prima consequentia non est necessaria, igitur antecedens et consequens sunt propositiones disparate et inconnexe. Et antecedens potest esse verum sine consequente. Dimisso igitur antecedente arguendo de consequente, quia aliquando est verum, et aliquando non, igitur Deus nunc iudicat aliquid, quod non prius iudicabat, et ei aliquid appetat, quod prius non apparebat, quid est contra responsionem.

Item, quid est *b* esse pro tempore *a*, aut est *b* esse in *a*, et sic est contingenter et non semper verum, igitur Deus non semper iudicat istud; aut est *b* fuisse in *a*, aut *b* fore in *a*, et quoquaque dato non semper verum est. Si autem neutrum istorum sit, relicto igitur illo accipiatur aliquid istorum, et stat ratio principalis. Aliter, diceretur ad secundam rationem principalem quod manebit eadem apparentia divina invariata, nec in postea per eam apparebit *b* esse album, sed per eandem apparentiam omnino appetet nunc *b* esse album, et postea apparebit *b* non esse album, sed nigrum.

Contra: si *a* apparentia divina manet eadem secundum illud quod est realiter et essentialiter, aut igitur manet uniformiter se habens nunc ut prius in ratione formalis apparentie, et formalis iudicii, aut non. Si primum, igitur per illam formaliter appetet Deo idem et eodem modo, et per illam Deus formaliter iudicat idem et eodem modo, ex quo manet iudicium et apparentia non solum materialiter. Sed ut est formaliter apparentia et iudicium, igitur adhuc formaliter Deo appetet *b* esse album, et formaliter iudicat *b* esse album. Sicut enim non mutato obiecto, si apparentia varietur formaliter in ratione formalis apparentie et iudicii, potentia aliter iudicat, et potentie aliter appetet non obstante immutabilitate obiecti, ita econtra; licet varietur obiectum, si apparentia et iudicium manent formaliter invariata, ut sunt formaliter apparentia et iudicium semper apparebit, et iudicabitur idem et eodem modo. Si secundum, igitur, est variatio et alietas formaliter et intrinsece in apparentia divina, quia formalis apparentia et formale iudicium sunt conditio formalis et intrinseca divine intelligentie. Actus enim divini intellectus est formaliter et intrinsece ex se apparentia et cognitio.

Item, aut actus divini intellectus representat et exhibet omnia intelligibilia, nunc et prius aliter et aliter, aut non, sed omnino uniformiter. Si primum, igitur alietas est in divina apparentia et iudicio, quia apparentia non est nisi formalis representatio, et exhibitio obiecti. Si secundum, igitur, Deus iudicat *b* esse album, sicut iudicabat prius, et nunc appetet sibi esse album. Dices: representat aliter et aliter alietate se tenente ex parte obiecti extrinseci, et non ex parte divine notitiae.

Contra: videtur falsum, quia representat aliter et aliter alietate obiecti extrinseci. Probo: per illud formaliter non representat aliter et aliter divina intellectio, per quod formaliter non representat, quod enim non dat formaliter representare non dat sic vel aliter representare. Sed per nihil extra Deum est divina intellectio formaliter representans, quia nihil extra Deum est illud per quod

formaliter Deus est intelligens, sicut etiam actus intellectus nostri non est formaliter representans per aliquid extrinsecum, igitur divina apprehensio non representat aliter et aliter alietate obiecti extra.

Tertio principaliter, ad exclusionem respcionis predicte, probatur quod Deus aliter intelligit et iudicat alietate for -[126a]- maliter se tenente ex parte Dei, sic intellectus modo non cognoscens neque iudicans *b* fuisse, sed modo cognoscens et iudicans *b* non fuisse, et postea cognoscens *b* fuisse non cognoscit omnino idem et eodem modo nunc et postea identitate se tenente ex parte sui et ex parte obiecti, sed iudicat aliud et aliud, vel aliter et aliter alietate se tenente, vel ex parte sui, vel ex parte obiecti, et incipit cognoscere et iudicare aliquid, quod non prius aut aliter quam prius. Sed intellectus divinus modo non cognoscit nec iudicat *b* fuisse, sed iudicat *b* numquam fuisse, quia *b* nunc primo est, postea vero iudicabit *b* fuisse, igitur aut iudicat aliter et aliter alietate se tenente ex parte sui, et sic propositum, vel ex parte obiecti. Et hoc non, quia nulla sit alietas, neque variatio circa *b* obiectum nunc et postea, ex eo enim quod *b* nunc est et non fuit, et postea erit, sic quod fuerit, non sequitur mutatio in eo, alioquin nullum ens posset manere in esse, quin fieret continua mutatio et alietas formaliter circa ipsum. Confirmatur: videat prius Petrus in essentia divina representari *a* esse, et postea *a* fiat non ens, aut tunc illa representatio exemplaris et formalis quod *a* est manet formaliter, et ita est falsa, aut non, igitur mutatio in Deo, quia supponitur non mutatio in Petro.

Quarto, actus divini intellectus seu divine apparentie et iudicii, aut signat et representat naturaliter obiecta intelligibilia que representat, aut non naturaliter, sed ad placitum. Si primum, igitur si per illum nunc appareat et iudicatur *b* esse album, et non appareat, nec iudicatur *b* non esse album semper idem omnino uniformiter apparebit et iudicabitur, sicut de actu nostre apparentie et iudicii. Si secundum, contra: tum quia in potestate divine voluntatis esset quod intellectus divinus nihil cognosceret, vel iudicaret extra se, et nihil sibi appareret vel representaretur de obiectis intelligibilibus extrinsecis, et de esse vel non esse creaturarum, et ita esset ignorans; tum quia actus divini intellectus non minus seipso et ex se essentialiter est cognitio et representatio et apparentia intelligibilium obiective quam actus nostri intellectus, igitur non minus naturaliter.

Quinto, Deus ea aliter et aliter iudicat alietate se tenente ex parte iudicii divini, quorum unum iudicat per iudicium perpetuo et necessario verum non contingenter, et alterum iudicat per

iudicium contingenter, et pro tempore verum, et sic est de apparentia et iudicio quo Deus dicit et iudicat quod homo est risibilis, et de iudicio quo iudicat quod Petrus nunc et pro nunc actu ridet, quia si necessario et perpetuo iudicat quod Petrus nunc sic ridet, igitur Petrum ridere nunc est necessarium, et quia nulla esset contingentia futurorum vel presentium. Maior patet, quia esse verum iudicium necessario vel contingenter sunt differentie et conditiones se tenentes ex parte iudicii, et huiusmodi necessitas et contingentia prius se habet ex parte iudicii, quam ex parte obiecti extrinseci iudicati, et contingentia vel necessitas apparentie et iudicii est causalis respectu necessitatis et contingentie obiecti, sicut enim ideo *a* est, quia Deus scit, et iudicat sic esse non econtra, ita ideo *a* est contingenter vel necessario, quia Deus contingenter vel necessario iudicat *a* esse.

Sexto, transitus qui exigit mutationem, et qui fit propter mutationem et non primo, nec solum in creatura exigit mutationem et fit propter mutationem in Deo. Sed transitus ille secundum quem prius non apparebat Deo *b* esse album, et modo apparet sive transitus secundum quem Deus fit de non iudicante *b* esse album, iudicans *b* esse album est transitus exigens mutationem, et qui fit propter mutationem aliquam, alioquin nulla variatione facta circa rem aliquam posset fieri ille transitus, et non exigit, nec sit solum et primo propter mutationem in creatura. Probo, quia si ad variationem et mutationem creature solum [126b] Deus fieret de non iudicante sic iudicans, sequitur quod ideo Deo apparet *b* esse album, quia *b* sit album, et ideo Deus nunc noviter iudicat *b* esse album, quia *b* sit noviter album, et sequitur quod apparentia divina, et iudicium sunt posteriora rebus et dependent a rebus, et sequuntur seu imitantur res extra potius quam econtra, saltem in ratione apparentie et iudicii veri. Prius enim non est propter posterius, nec exigit posterius. Consequens est falsum, quia secundum Augustini 6 De trinitate, capitulo 10. Non enim que sunt creata ideo sciuntur a Deo, quia facta sunt, sed ideo facta sunt, quia ab eo sciuntur. Et 15 De trinitate, capitulo 13, “Deus universas creaturas non quia sunt ideo novit, sed quia novit, ideo sunt”. Et Commentator, 12 Metaphysice, commento 15, “scientia Dei est causa rerum”.

Septimo, ea Deus intelligit aliter et aliter alietate se tenente ex parte Dei, quorum unum intelligit speculative tantum non practice, et alterum intelligit practice non speculative tantum, sed humanitatis quidditas et hunc hominem produci sunt huiusmodi. Maior patet, quia speculativum et practicum sunt differentie et conditiones notitie non obiecti extrinseci primo. Minor probatur,

quia secundum communem doctrinam Deus cognoscit speculative quidditates per ideas, non per determinationem voluntatis, se operabilia extra ex tempore cognoscit practice, et per determinationem divine voluntatis.

Octavo, omnis potentia apprehendens motum, et habens in suo prospectu motum alicuius mobilis est susceptibilis plurium notiarum sibi succendentium. Sed intellectus divinus est huiusmodi, igitur. Maior probatur: talis potentia apprehendat et habeat in prospectu motum ipsius *a* supra aliquod spatium sive ille motus sit realiter in actu, sive fuerit, sive futurus sit, sive sit tantum possibilis, quia omnia talia habet actu Deus in prospectu, tunc sic: aut talis potentia dum apprehendit et habet in prospectu *a* ut applicatum uni loco vel uni parti illius spatii simul apprehendit, et habet in prospectu ipsum *a* applicatum secunde et certis partibus, et cuilibet parti illius spatii. Aut non, vel sub aliis verbis, aut talis potentia dum apprehendit et prospicit applicationem ipsius *a* super primam partem spatii simul apprehendit et prospicit applicationem et situationem ipsius *a* super secundam partem, et super quamlibet partem spatii aut non. Si secundum, igitur cum aliquando habeat in prospectu applicationem et locationem ipsius *a* super secundam partem illius spatii, sequitur quod modo non habet notitiam illius applicationis et situationis, cuius notitiam et apprehensionem postea acquires et recipiet, igitur proficit apprehendendo noviter quod prius non habebat obiective in prospectu, et sequitur propositum. Si primum, sequitur quod talis potentia non apprehendit motum ipsius *a*, nec habet in prospectu *a* ut motum et sub motu, sed potius tamquam sub quiete. Probatur consequentia multipliciter. Primo, quia si continue et uniformiter simul apprehendit omnes applicationes et locationes ipsius *a* ad omnes partes illius spatii, et habet semper simul in suo prospectu *a* corpus ut applicatum et situatum in omni loco illius spatii, igitur non apprehendit *a* ut se habens nunc et prius, aliter et aliter ad illud spatium. Sed ut uniformiter se habens sicut in motu alterationis, si aliquod subiectum apprehenditur ut applicatum cuilibet parti formale non apprehenditur per modum motus ad illam formam, sed per modum quietis sub illa forma. Secundo, per illam apprehensionem non apprehenditur motus ipsius *a*, nec habetur in prospectu *a* tamquam motum de termino ad terminum super aliquod spatium per quam non apprehenditur *a*, ut nunc et prius magis et minus distans a termino a quo, nec ut magis et minus appropinquans nunc et prius ad terminum ad quem, sed per apprehensionem qua continue per horam uniformiter simul apprehenditur et habetur *a* in prospectu ut applicatum cuilibet parti spatii non apprehenditur *a*, ut magis vel minus distans nunc et prius ab aliquo termino, vel appropinquans ad aliquem situm

illius spatii.**[127a]** Probo, quia per illam apprehensionem apprehenditur et habetur in prospectu *a* ut applicatum indifferenter cuilibet parti illius spatii, et ut applicatum ultimo loco non minus quam ut applicatum medio loco, igitur per huiusmodi apprehensionem non apprehenditur *a*, nec habetur obiective in prospectu vel sub motu, nec per modum motus, nec per consequens apprehenditur formaliter motus ipsius *a* super illud spatium. Tertio, si omnes huiusmodi apprehensiones et situationes essent realiter in actu per horam uniformiter *a* non esset realiter sub motu per illam horam, sed sub quiete, igitur si per horam omnes ille applicationes uniformiter simul habentur in prospectu non apprehenditur *a* ut motum, sed potius ut quiescens. Antecedens patet, quia non se haberet aliter, sed unifomiter nunc et prius secundum illud spatium. Consequentia probatur, quia in prospectu habetur res talis, et secundum talem modum se habendi qualis esset realiter, et qualem modum haberet realiter, si ita esset et ita se haberet realiter extra, sicut exhibetur obiective in prospectu et in apprehensione. Potest, igitur, sic argui per illam apprehensionem non apprehenditur motus ipsius *a*, nec apprehenditur *a* ut sub motu per quem *a* sic apprehenditur, quod si *a* sic se haberet actualiter in re quo modo habet esse in prospectu ad illam apprehensionem *a* non esset sub motu, sed sub quiete. Sed si *a* esset actualiter in re applicatum per horam culibet loco huius spatii non esset per hanc horam sub motu, sed sub quiete, igitur si ab aliquo intellectu per istam horam et per quodlibet istius hore apprehenditur ut applicatum cuilibet parti spatii, sequitur quod ab illo intellectu non apprehenditur ut motum, et sub motu sed potius per modum quietis obiective.

Quarto, supponatur quod nos apprehendimus motum per diversas notitias partiales sibi succedentes, tunc sic: si omnes huiusmodi notitie partiales simul essent, et simul conservarentur in nobis, non appareret nec apprehenderetur *a* moveri, igitur et si una notitia simul representet omnes illas applicationes et dispositiones quas representarent ille notitie plures simul conservate. Consequentia patet, quia talis una notitia equivalet illis pluribus in representando *a* corpus in habitudine ad partes illius spatii. Antecedens probatur, quia per illas notitias uniformiter per horam manentes apprehenditur *a* continue per horam esse per totum spatium, igitur non apprehenderetur esse nunc alibi quam prius, nec magis distare ab aliquo termino nunc quam prius, nec se habere aliter quam prius, igitur non apprehenderetur per modum rei mote, sed potius per modum rei quiescentis. Si dicatur ad hanc octavam rationem principalem quod per talem unam apprehensionem dum apprehenditur *a* ut applicatum uni parti spatii non simul apprehenditur ut applicatum alteri parti spatii, sed ut applicandum et dum postea apprehenditur

ut applicatum alteri parti, tunc apprehenditur ut applicatum, iam fuisse priori parti, non tamen variatur notitia, quia eadem notitia ostendit primo *a* esse applicandum tali loco postea applicari, postea fuisse applicatum.

Contra: accipio actum divini intellectus, ut est apprehensivus et prospectivus seu exhibitivus et representativus non ut iudicativus formaliter asserendo *a* esse realiter, et actualiter applicatum tali loco. Sed quo modo dicitur Deus habuisse ab eterno in suo prospectu omnia intelligibilia, tunc sic: dum in prima parte hore huius et ab eterno Deus habet in suo prospectu obiective *a* ut applicatum isti prime parti spatii, aut simul uniformiter habet in suo prospectu *a* ut applicatum secunde parti spatii et eque simul habet in prospectu applicationem ipsius *a* ad secundam partem spatii sicut habet in prospectu applicationem ipsius *a* ad primam partem spatii, aut non.**[127b]** Si primum, igitur stat ratio predicta. Si secundum, igitur Deus habuit ab eterno in prospectu *a* ut applicatum isti loco, et non ut applicatum illi loco, quod est falsum, quia non est ratio de isto loco magis quam de illo, et quia ab eterno habuit in prospectu omnia intelligibilia, et si ab eterno non habuit, et si modo non habet in prospectu suo *a* ut applicatum illi loco, numquam habebit postea in prospectu suo istud, quia nullum intelligibile apprehendit noviter, licet enim actus divini intellectus sit contingenter iudicium, tamen est necessario et essentialiter apprehensio et inspectio omnis intelligibilis. Si vero ad hanc principalem rationem dicitur quod ex quo *a* non movetur realiter et actualiter, non est verum quod Deus apprehendat *a* ut applicatum isti loco, vel illi. Sed ut possibile applicari, vel ut fore applicandum super hanc et illam partem spatii. Contra: accipiendo actum divini intellectus ut est pure apprehensivus et inspectivus, vel exemplativus et exhibitivus non est ut iudicium quod res extra sit actualiter sic se habens, verum est quod intellectus divinus apprehendit actualiter, et habet distincte in prospectu omne intelligibile possibile, ita perfecte sicut quando illud intelligibile ponitur realiter in actu. Videt enim motum possibilem ita perfecte sicut si esset, sicut enim motum qui non est possumus apprehendere abstractive absque mendacio et non iudicando ipsum esse, ita Deus motum qui non est prospicit intuitive sine mendacio. Patet etiam quia motum ipsius *a* quando *a* movetur apprehendit Deus, igitur et illum antequam esset habebat Deus in prospectu tamquam futurum possibile. De hac, igitur, apprehensione et inspectione arguitur sic: aut dum Deus apprehendit et habet in prospectu applicationem ipsius *a* ad hanc partem huius spatii apprehendit simul, et habet in prospectu applicationem ipsius *a* ad quamlibet aliam partem huius spatii, aut non etc., ut supra. Quia igitur non videtur possibile motum aliquem prospici, et distincte apprehendi, nisi

per pluralitatem notitiarum sibi succendentium vel per unam, que modo exhibeat hoc et non illud, et postea econtra exhibeat illud, et non hoc, ideo videtur quod Deus non apprehendat motum.

Ad primum, negatur maior. Si sit tale iudicium et signum infinitum et illimitatum, quod possit esse iudicium quod *a* sit quando *a* est et esse iudicium quod *a* non sit quando *a* non est. Ad primam probationem, non est simile quia omnino sic significat *b* esse tale quod cum *b* non est tale, adhuc illa oratio significat *b* esse tale, et non est iudicium quod *b* non sit tale actus, etiam nostri intellectus, si significat *b* esse tale et sit iudicium quod *b* sit tale, semper erit iudicium quod *b* est tale, et si non sit iudicium quod *b* sit tale, numquam erit iudicium. Ad secundam probationem, negatur consequentia, sumendo consequens de signo ut formaliter iudicativum et assertivum, quia etiam nulla mutatione reali data circa signum ad placitum posset nunc significare *b* esse tale, et postea significare *b* esse non tale. Mutatio igitur vel alietas referenda est ad significatum non ad signum, nisi accipiendo mutationem large et abusive pro quocumque transitu contradictionis circa aliquod obiectum.

Ad illud additum respondebat Anselmus, ibidem, quod sicut in homine vivo est veritas, et in homine picto est similitudo et imago, et ideo quanto pictura magis imitatur veritatem hominis vivi, tanto est verior, ita in verbo divino est veritas essendi et eius comparatione in his que per ipsum facta sunt est imitatio et similitudo essendi. Ideo, verbum divinum non est magis et minus verum secundum quod magis, vel minus sit creaturis simile, immo econtra omne creatum tanto est verius, et prestantius, quanto est similius ei quod summe est. Ad secundum, illa apparentia manebit formaliter inva -[128a]- riata in se, nec tamen Deo formaliter apparebit *b* esse album, quia licet illud quod est apparentia et iudicium maneat in se formaliter invariatum, tamen non semper erit et manebit apparentia et iudicium et assensus quod *b* sit album, sicut scientia Dei respectu futuri dicitur prescientia. Sed cum illud sit presens, tunc scientia Dei non dicitur amplius prescientia respectu illius, secundum Magistrum, libro 1 Sententiarum, distinctione 41, capitulo 5: “sic etiam divina volitio incipit vel desinit esse approbatio vel reprobatio huius hominis”. Ideo, conceditur secunda responsio. Ad primam improbationem, actum divini intellectus habere nunc et prius uniformiter in ratione formalis apparentie et iudicii potest intelligi dupliciter. Uno modo, quod ex parte actus divini aliquid sit formaliter apparentia et iudicium, et ipsum se habeat in se formaliter nunc et prius uniformiter per negationem mutationis intrinsece. Conceditur, nec valet ulterior consequentia. Alio modo quod actus divini

intellectus sit postea formaliter apparentia et iudicium quod *b* sit album, et sic negatur. Ideo, datur secundum membrum, quia postea illi actui non convenit ratio formalis apparentie et iudicii respectu huius quod est *b* esse album, et negatur ulterior consequantia, quia licet illud quod intrinsece est actus divini intellectus sit formaliter apparentia, tamen est contingenter apparentia et non ad se absolute, sed relative ad creaturam ut existentem sicut verum et falsum, sicut sunt et conditiones orationis et contingenter ei convenient. Ad aliam improbationem, dicendum quod non aliter, sed uniformiter representat nunc et prius quecumque intelligibilia, ut li ‘aliter’ et li ‘uniformiter’ determinant li ‘representat’, licet representet intelligibilia ut se habentia aliter et aliter, et sic accipienda est responsio ibi posita, non quod divina intellectio sit aliter representans per alietatem creature extrinsece, sed est uniformiter representans nunc et prius creaturam se habere, vel se habentem aliter et aliter, ut li ‘aliter’ sit determinatio obiecti expressi vel subintelleti.

Ad tertium, potest dici quod maior est insufficiens. Sufficit enim interdum quod iudicet idem in respectu ad aliqua distincta intelligibilia, et sic in proposito Deus iudicat idem relatum et comparatum ad diversas partes temporis actualiter fluentis vel potentialis. Sufficit etiam interdum quod iudicet non idem, licet non aliud nec aliter *b*, ut si modo iudicet *b* esse, et prius non fuisse et postea iudicet *b* fuisse, tunc Deus quatinus hoc iudicans non iudicat proprie aliud et aliud, nec proprie iudicat idem nunc et prius, quia licet Petrus qui modo est et prius non fuit sit idem Petrus qui postea erit et fuerit, tamen Petrum fuisse et Petrum non fuisse non sunt proprie loquendo idem, nec actu, nec potentia, quia impossibile est quod aliquod intelligibile demonstratum simul sit Petrum fuisse et non fuisse; nec etiam sunt aliud et aliud intelligibile obiectum, quia impossibile est intellectum aliter demonstrare duo obiecta intelligibilia, de quorum uno verum sit dicere hoc est Petrum fuisse, et simul de altero verum sit dicere hoc est Petrum non fuisse, sicut Petrus qui fuit, et Petrus qui non fuit, vel Petrus preteritus, et Petrus non preteritus, vel Petrus futurus et non futurus, vel Petrus presens et Petrus non presens non sunt idem aliud et aliud intelligibile, sed non idem, licet improprie loquendo posset dici idem intelligibile quatenus Petrus qui alias non fuit est idem Petro qui in hora sequenti sic erit quod prefuit. Potest etiam dici large loquendo aliud, quia non est idem, nec de aliquo uno intelligibili demonstrato potest simul verificari utrumque.

Ad quartum, dicendum quod actus divini intellectus quatenus est pure apprehensivus et prospectivus representat et exhibet naturaliter et necessario omne obiective intelligibile, ut autem est iudicativus et assensivus vel dissensivus sic adhuc [128b] necessario et naturaliter fertur super omne necessario verum, sed respectu veri contingentis se habet libere et contingenter, sicut et voluntas divina libere vult ea esse vel ea non esse. Ad primam improbationem, negatur consequentia quia licet contingens sit *a* esse, et contingens sit *a* non esse, tamen necessarium est *a* esse vel non esse, igitur altera est determinate vera, et altera determinate falsa, igitur divinus intellectus cognoscit distincte et determinate que pars sit vera, et que pars sit falsa, alioquin esset imperfectus et ignorans. Ad secundam, conceditur quod seipso essentialiter, quia non per accidens adiunctum, nec ab alio vel per aliud causaliter, et ita ex se naturaliter id est per naturam suam secundum negationem et exclusionem alterius per modum principii causalis, tamen libere et contingenter sicut est volens, ex se tamen libere.

Ad quintum, si unum illorum intelligibilium iudicat per iudicium quod est perpetuo et necessario verum, et quod non est respectu alicuius veri iudicium contingenter verum, et alterum iudicat per iudicium quod est contingenter verum, et quod nullo modo et respectu nullius intelligibilis est iudicium necessario verum, conceditur maior et negatur minor. Si vero unum illorum iudicat per iudicium quod est necessario verum respectu cuiusdam intelligibilis, et quod est contingenter et ex tempore iudicium verum respectu alterius intelligibilis, et sic negatur maior. Contra: idem iudicium non est contingenter et necessario verum obiective respectu eiusdem intelligibilis. Sed Deus habet iudicium necessario et perpetuo verum quo iudicat Deum esse, et habet iudicium contingenter verum quo iudicat Deum esse creantem. Igitur, vel est distinctio iudiciorum, et sic propositum vel obiective iudicatorum. Et hoc non, quia Deum esse creantem est Deum esse secundum te. Potest dici quod idem iudicium realiter potest esse iudicium necessario verum, et iudicium contingenter verum respectu eiusdem non necessario, sed contingenter eiusdem, id est potest esse iudicium necessario verum respectu alicuius et esse iudicium contingenter verum respectu eius cui illud est contingenter idem, sicut autem Deum esse est contingenter et non necessario Deum esse creantem, ita hoc est contingenter idem illi, vel potest dici quod est figura dictionis mutando quid in ad aliquid, quia li ‘eiusdem’ dicit quasi quid. Sed Deum esse creantem dicit ad aliquid respectu huius quod est Deum esse, sicut igitur idem non est necessarium et contingens, nec aliquid est idem alicui enti necessario et contingenter. Proprie loquendo, tamen, aliquid necessario ens vel necessario tale potest esse idem enti contingenter sic se habenti ad

aliud; ita, licet idem iudicium non sit necessario verum, et contingenter verum respectu eiusdem, tamen aliquod idem iudicium potest esse necessario verum respectu alicuius, secundum se et esse contingenter verum iudicium respectu ipsius, ut taliter se habentis ad aliud.

Ad sextum, patet ex dictis, distinctione 8, questione 3, respondendo ad primum et secundum.

Ad septimum, potest negari maior, quia practicum et speculativum sunt differentie notitie in habitudine ad obiectum intelligibile. Ideo, eadem notitia potest dici practica notitia respectu unius intelligibilis, et notitia speculativa respectu alterius vel respectu etiam eiusdem sumpti, secundum se et sumpti ut taliter se habentis relative ad aliud.

Ad octavum, negatur maior. Ad probationem potest dici quod Deus simul apprehendit et simul habet in prospectu *a*, ut applicatum huic parti spatii et illi et simul obiective habet in prospectu omnes huiusmodi applicationes et dispositiones, tamen referendo eas ad diversas partes temporis, puta hanc applicationem ad hanc partem temporis, et illam ad aliam partem temporis ut mensuram precisam et adequatam, ita quod simul apprehendit omnes partes motus, sed non apprehendit eas esse simul [129a] vel ut simul esse possibles. Datur igitur membrum primum et negatur consequentia. Ad primam improbationem consequentie, negatur consequentia, referendo nunc et prius ad mensuras illarum applicationum, licet nunc et prius non apprehendat aliter illud mobile. Apprehendit enim *a* ut applicatum huic parti spatii pro hac parte temporis totaliter et ut applicatum non eidem, sed alteri parti spatii pro hac parte temporis priori vel posteriori. Ad secundum probationem, negatur minor. Ad probationem, licet pro eadem parte temporis et simul apprehenditur *a*, ut applicatum cuilibet parti spatii, tamen non apprehenditur ut applicatum simul cuilibet parti spatii pro aliqua eadem parte temporis totaliter, sed ut applicatum isti parti spatii pro priori parte temporis, et ut applicatum alteri parti spatii pro posteriori parte temporis, et ut applicatum ultime parti spatii pro ultima parte temporis. Ideo, apprehenditur ut magis distans a tali termino pro tali parte temporis quam pro alia tali parte temporis.

Ad tertiam, negatur consequentia, quia si omnes huiusmodi applicationes simul essent realiter, tunc referrentur ad eandem partem temporis, sicut ad eandem mensura commune omnibus applicationibus, non autem habetur in prospectu *a* corpus ut applicatum omnibus illis partibus pro eadem mensura temporis.

Ad quartam, si in anima per possibile vel impossibile conservaret Deus omnes visiones partiales, quibus videtur motus exterior una cum memorialibus et relativis notitiis secundum quas anima apprehendit mobile fuisse hic pro tali parte temporis, et pro parte temporis posteriori non fuisse hic, sed alibi. Negatur antecedens. Ad probationem, licet simul continue et uniformiter per totam horam apprehenderetur esse super totum spatium, non tamen apprehenditur universaliter esse simul per totam horam super totum spatium, sed esse super istam partem pro tali parte temporis modo essendi convenienti successivis, et esse super alteram pro alia parte hore, forte tamen talis premixtio notitiarum in anima generaret potius confusione talem, ut anima nesciret quid iudicandum. Si etiam in anima conservarentur omnes visiones intuitive partium motus absque notitiis habitualibus et memorialibus et relativis partium motus ad invicem, secundum prius et posterius, anima non iudicaret illud moveri nec sibi appareret illud moveri. Si arguitur contra fundamentum cui nituntur iste responsiones, secundum quia Deus simul apprehendit illas applicationes, secundum in relatione ad diversas partes temporis ut mensuras correspondentes. Contra, quia illas mensuras seu partes temporis, Deus habet simul in prospectu non per respectum ad alias mensuras, igitur non prospicit eas modo prioris et posterioris, et ut successivas, sed obiecta simultanea responsio negatur consequentia.

Dubium an stando in lumine naturali ponendum sit secundas intelligentias motrices orbium intelligere aliquid per intellectionem realiter distinctam a sua essentia. Quod sic, quia talis intelligentia videt intuitive motum sui orbis quem causat, igitur adveniente et transeunte parte motus transit et advenit notitia illius, alioquin haberet notitiam infinitam respectu motus infiniti, quia equivalereret visionibus infinitis distinctis vel eadem notitia finita, nunc intuitive representaret aliquid postea aliud quorum neutrum videtur ponendum, et eodem modo videtur habere continue novam visionem, qua videt aspectum et expositionem planete quam movet ad alios planetas et stellas qui aspectus sunt varii et infiniti secundum eternitatem temporis. Contra, quia prima intelligentia intelligit non per intellectionem realiter distinctam a sua essentia, igitur et secunde intelligentie. Probatio consequentie, quia secundum Aristotelem 12 Metaphysice, “omnes intelligentie indifferenter sunt entia [129b] immobilia et nihil probatur de prima per viam motus, qui probetur de aliis nisi sola conditio primitatis, et quia primus motor videtur intuitive cognoscere motum suum et aspectus planetarum. Potest dici stando in lumine naturali quod quamvis secunde intelligentie intelligent quadam intellectione sibi consubstantiali et coessentiali, id est eadem sue essentie vel connaturali et inseparabili, tamen quedam intelligent

intellectionibus accidentalibus separabilibus, non tamen prima, quia ei repugnat perfici per aliud ut probatum est supra, probando conclusiones, distinctione 8, quo modo autem et quantum intelligat prima intelligentia videbitur inferius, distinctione 35, vel potest dici quod quelibet intelligentia est essentialiter et necessario intellectio omnium que intelligit, et negatur quod intuitive cognoscat distincione et individualiter quamlibet partem motus, sed tam sui mobilis quam motus quem aspectum habet notiam talem que sufficit ad causandum motum illum, et ad perfectionem intelligentie iuxta modum qui infra ponetur de prima intelligentia.

Ad argumentum in principio questionis, conceditur maior de dissimilitudine et similitudine ei opposita. Si vero de non opposita, negatur maior, nunc autem Dei ad creaturam dicitur summa dissimilitudo secundum distantiam perfectionis et secundum disconvenientiam in modo et conditionibus essendi, maxime in conditionibus perfectionis et imperfectionis. Dicitur autem large et improprie ibi esse similitudo secundum representationem exemplarem, quo modo notitia anime que est spiritualis et inextensa dicitur esse similitudo rei extra extense. Dictum autem Anselmi intelligitur de similitudine et imagine creata, que dependet et trahit originem ab eo cuius est imago potius quam econtra, et que ordinatur ad illud, et que est gratia illius potius quam econtra et imitatur illud.

Ad confirmationem, negatur consequentia. Ad probationem, aut dictum Commentatoris non est verum, aut est tantum verum de intellectu intelligente per intellectionem creatam et acceptam causaliter ab alio.